UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De gentilibus infirmis, si baptismum defiderant. xxx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii, & spiritus sancti.

Quòd in baptismo, & in confirmatione, si necesse fuerit, vnus patrinus possit esse. Cap. XXIIII.

Ex decr. Ygini papæ, ca 10

IN catechumeno, & in baptismo, & in confirmatione vnus pater potest fieri, si necessitas cogit: non est tamen consuetudo Romana, sed per singula singuli suscipiunt.

Vt vnus patrinus, vel patrina ad suscipiendum infantem accedat. Cap. XXV.

Ex decr. Leonis papæ apud S. Medardum.

VT non plures ad suscipiẽdum de baptismo infantem accedant, quàm vnus, siue vir, siue mulier. In confirmationibus quoque idipsum fiat.

Vt ille qui non est baptizatus, vel confirmatus, à baptismo nullum recipiat. Cap. XXVI.

Ex cõcil. Mogũti. cap. 2.

IN bapismo vel in chrismate non potest alium suscipere in filiũ ipse qui non est baptizatus, vel confirmatus.

Vt nullus patrinus fiat, nisi rectè credat. Cap. XXVII.

Ex cõcil. Parisiẽsi, cap. 2.

VT nemo à sacro fonte aliquem suscipiat, nisi Orationem dominicam & Symbolum, iuxta suam linguam & intellectum teneat, & coram ptesbytero decantet, & intelligant omnes pactum, quod cum Deo pepegerunt.

Vt presbyteri à patrinis requirant, si Symbolum teneant. Cap. XXVIII.

Ex cõcil. Vvomarcien. 4. cap. 1.

ANnuncient presbyteri, vt neque viri, neque fœminæ de sacro fonte filiolos, vel filiolas suscipiãt, nisi memoriter Symbolum, & Orationem dominicam tenuerint.

De Symbolo octo dies ante Pascha publicè in omnibus Ecclesiis recitando. Cap. XXIX.

Ex cõcil. Agathẽ. cap. 1.

SYmbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis vnacum, id est, octo dies ante dominicam resurrectionem, publicè in Ecclesia competentibus tradi.

De gentilibus infirmis, si baptismum desiderãt. Caput XXX.

Ex eodẽ concilio, cap. 3.

GEntiles, si in infirmitate desiderauerint sibi manus imponi, si fuerint ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.

De grauida baptizanda. Cap. XXXI.

Ex cõcil. Neocæsa. cap. 6.

GRauidam oportet baprizari, quando voluerit. Nec enim in hoc quæ parit nascẽti cõmunicat, propter ea quòd vniuscuiusq; propositũ in cõfessione declarat.